

$\pi_h$   
770

R.  
28  
6

DE  
GENIO NATALIVM PRAESIDE  
COMMENTATIO ANTIQVARIA POSTERIOR

---

QVAM  
P R A E S I D E  
**IOANNE CHRISTIANO  
HENRICI**

A. M. LYC. VITEB. CORRECT.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. XXVI. FEBRVAR C<sup>I</sup>I<sup>II</sup>CCLXXXIII.

H. L. Q. CC.

D E F E N D E T

**CHRISTIANVS GOTTLLOB FRANCKIUS**

VITEB. MEDICINAE CANDIDATVS.

---

VITERBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

GENIO NATALIVI PRAEVIDE  
COMMITTANTO TUTTIARVM SCITVNCE

**GRATIA** **CHRISTIANA**

IN VITRINA PRAECEPTE  
MAGISTER IOACHIMUS

PROPHETAE ET SANTORUM  
SACRA LITERATURA

**JOAKIME CHRISTIANO**  
**HENRICI**

IN VITRINA PRAECEPTE  
MAGISTER IOACHIMUS

COLLECTIO QVM LIBRARIA  
MAGISTER IOACHIMUS

IN VITRINA PRAECEPTE  
MAGISTER IOACHIMUS

CHRISTIANAS GESTAS ET VINCERIAS

IN VITRINA PRAECEPTE  
MAGISTER IOACHIMUS

IN VITRINA PRAECEPTE  
MAGISTER IOACHIMUS

LITTERIS ADOANI CHRISTIANI EDIDIT

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO AVGVSTO**  
DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE AC  
MONTIVM ANGARIAE ITEM ET WEST  
PHALIAE SACRI ROMANI IMPERII AR  
CHIMARESCHALLO ET ELECTORI COMITI  
PROVINCIALI THVRINGIAE MARCHIONI  
MISNIAE SVPERIORISQVE ET INFERIORIS LV  
SATIAE BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI COMI  
TI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE CO  
MITI MARCAE RAVENSBERGAE BARBII ATQVE  
HANOVIAE DOMINO RAVENSTEINII CAET.

ELECTORI AC DOMINO  
MEO LONGE INDVLGENTISSIMO

SCIRPENSISQ[UE] TRINITATIS DE DOMINA  
TOMVS I. Q[UAEST]IONES  
TRINITY AVGVSTO

HANC ALTERAM  
COMMENTATIONEM ACADEMICAM  
GRATISSIMAE PIETATIS TESSERAM

SUBMISSISSIME

D. D. D.

AVCTOR  
MEO IOHANNES LANDFACENTIUS

PRINCEPS ELECTOR  
SERENISSIME  
DOMINE INDVLGENTISSIONE

*Quod Titus olim imperator, amor ille ac de-  
liciae generis humani, inter alias voces egregio  
principe dignissimas dictabat, non oportere  
quemquam a sermone principis tristem discedere,  
id in iis quoque esse legibus, quas tva PATER*

PATRIAЕ OPTIME excelsа indoles ipsа  
sequitur, in tam illustribus domus Augustae po-  
sitаs monumentis, abunde nuper cognoui. Omni-  
um enim votorum meorum summam iam videor  
consecutus, omniumque studiorum fructum nactus  
dulcissimum, quod et me tum nulla turbatum tri-  
stitia dimittere, sed tantam libello meo obtin-  
gere voluи: felicitatem, honorem tantum, ut  
eum ad T V V M peruenire patereris aspectum, vul-  
tuque TIBI proprio, placido scilicet ac sereno,  
studia approbases mea. Tanto igitur deuinctus  
beneficio, quod sempiterna memoria in animo  
meo haerebit defixum, temperare mibi non potui,  
quin

quin iterum ad celstudinis TVAE culmen adspiri-  
rare sustinerem, mentis deuotissimae atque ob-  
strictissimae officium persoluere gestiens. Itaque  
cum bonitas etiam TVA banc alteram commen-  
tationem propter idem argumentum iure SIBI  
vindicet: non dubitaui, eam quoque religione  
TIBI consecrare submississima, ut publica ex-  
staret pietatis meae, animique gratissimi inter-  
pres. Iam cum ciuium felicitas TVA nitatur  
felicitate, ideoque omnium bonorum votum uni-  
cum sit salus principis: summum Numen sup-  
plex precor, ut fortem TE ac bilarem, omnibus-  
que bonis, quibus principis censemur amplitudo,

LOVANIES CHRISTIANVS

HENRICI

cumis-



*cumulatissimum praestet, vt virtutis TVAE  
gloriam, aeterna laude florentem, aliis super alia  
in Saxoniam beneficiis ac meritis augere seros  
vsque in annos possis. Qua votorum sanctitate  
obsequium perpetuum comprobare in posterum  
quoque studebit*

**CELSITVDINI TVAE  
PATER PATRIAE  
GLORIOSISSIME**

*Scribebam  
VITEBERGAE,  
XXVI. die Februario  
A. R. S. CICLOCCCLXXXIII.*

*DICATISSIMVS  
IOANNES CHRISTIANVS  
HENRICI.*

§. VII.

*Ara Genii atque ignis.*

**D**issoluendum tandem est nomen nuper contractum.  
Itaque iterum propero ad rem diuinam Genio factam,  
quam in medio relinquere cogebat, aram, ignem,  
ceterosque ritus hic obseruatos, quantum literarum monu-  
menta suppeditant, nunc persecuturus. Iam vero cum non ea-  
dem placeant omnibus eodem tempore et loco, sed pro fa-  
cultatibus quisque in rebus arbitrio suo quodammodo relicet  
modo hoc, modo aliud sequatur: *hinc in rebus ceteris ad sa-*  
*cra Genii pertinentibus accidit, ut veteres non eundem omnes*  
*seruarent morem, maxime quod sacra Dei tutelaris nullis*  
*erant astricta legibus pontificum, sed ad priuata referebantur,*  
*quae quisque diem natalem celebrans ipse obibat ita, ut pot-*  
*erat, ut placebat, nullo sacerdotis adiutus ministerio, quo*  
*nomine haec ne sacrificia quidem dici posse multi putabant,*  
*sed sacra modo, aut rem diuinam, quod diu ante me iam*  
*monuit Gutherius de iure pontificio (l. VI. c. 6.) Inde quo-*  
*que ara saepius temporaria modo ac subitaria; interdum fir-*  
*mior ac quodammodo perpetua. Celebris enim fuit ara,*

quam veteres, utpote pauperes et rustici, e cespitibus componabant Diis. Quare Tertullianus in Apologetico (c. 25.) *frugi religio et pauperes ritus ac nulla Capitolia certantia coelo, sed temporaria de cespite altaria.* De hac saepius poetae, ut Horatius (l. I. od. 19.)

*Hic viuum mihi cespitem, hic  
Verbenas pueri ponite,  
et (l. III. od. 8.)*

*positusque carbo in  
Cespite viuo.*

Testimonia huius rei multa peti possunt e Berthaldi libro de ara (c. VI.) quem semel hic nominasse sufficiet. Miror tamen hunc, multa de Genii cultu (c. XVII.) commentatum, non commemorasse. aram Genii eandem fuisse, quod ex Ouidio liquet, qui natali die vxoris (Trist. V. el. V. 9.) iubet:

*Araque gramineo viridis de cespite fiat.  
sicut Calpurnius (Eclog. V. 25.)*

*tu cespite viuo*

*Pone focum.*

Aras tamen e duriori materia, marmore in primis, Genio fuisse dicatas probant eae, quae adhuc supersunt, titulis earum a Grutero, Reinesio et Sponio aliisque exhibitis. Sunt quidem multae earum Geniorum publicorum, ut locorum, collegio-

legiorum, cohortium, horreorum, sed sunt etiam, quae meae sententiae succurrant. Ut enim nihil dicam de ara Iunoni Iuliae sacra apud Gruterum (p. 24.) aliam idem suppeditat (p. 590.) GENIO RHODONIS sacram et (p. 111.) in ara mar morea scriptum exhibetur

### GENIO SIMILIS FAMILIA

quam serui aut domestici Genio Similis adhuc superstitis voto suscepto dedicauerant, quae est sententia Raph. Fabretti in Opere Inscr. antiquar. (p. 75.) suffragante ipsi Montefalcone (Suppl. T.I. p. 210.) Neque vero, quae aliorum Deorum aris accedebant ornamenta coronarum, aris Genii fuerunt denegata ab operaturis. Horatio enim Maecenatis natalem canenti (l. IV. od. II.) est

*ara castis*

*Vinda verbenis,*  
ad quae vetus scholiastes Cruquii: *verbenae sunt omnes herbae frondesque ad aras coronandas, consentiens cum Donato ad Terentii Andr. (IV. sc. III.) Clare quoque Ouidius l.c. ait.* *Et velet tepidos nixa corona fosc.*

Suum vero natalem ab exule temere expectare dicit (l. III. El. XIII. 15.)

*Fumida cingatur florentibus ara coronis.*

Colligere quoque ex his licet verbis, coronas fuisse contextas e floribus, quod in aliis sacris certo obtinuit, sicut scripto-



res de coronis Paschalius (l. VIII. c. II.) et Schmeizelius (p.  
 60.) rem declarant. Quodsi hariolari hic liceret, statuerem  
 platani quoque frondes in his coronis fuisse adhibitas, quo-  
 niam eiusmodi coronae in primis ex frondibus et floribus Deo,  
 cui sacrificandum erat, sacrificatis necabantur. Platanum au-  
 tem Genio fuisse sacram ex eo iam constat, quod in operibus  
 artis ipsa capita Geniorum platani frondibus redimita haud  
 raro conspicuntur. Nec desunt viri eruditii, qui hic otium  
 mihi fecerint, Celsius nempe, Meursius atque Vrbinus inte-  
 gris libris de arborum apud veteres vsu sacro et profano  
 commentati. Quare vnum modo adhuc tangam Ouidii  
 locum (Metam. X. fab. II. o4.) qui inde platanum vocat  
*genialem*, quamquam haud nego ideo quoque huic arbori  
 cognomentum inditum, quod sub ea veteres conuiua celebra-  
 re ac morari consueuerint. A Tullio quoque de Orat. (c.  
 VII.) Socrates, qui singulari familiaritate iunctum habebat  
 Genium, huius arboris umbram maxime secutus esse traditur,  
 cuius rei causam nonnulli recte in eo quaerere videntur, quod  
 omnino sacra fuerit Genio. Multum quoque ponderis ex his  
 accedit sententiae eorum, qui ignem in his sacris platani fron-  
 dibus nutritum esse autumant. Nefas enim ducet supersti-  
 tiosa veterum religio, cuiusque arboris lignum aut frondes  
 in sacrificiis adulendis promiscue adhibere, sed id potius fer-  
 uabat, ut eas legeret, quae sacris Deorum essent accommo-  
datae

datae, aut eius, cui fiebant, deliciae. Sic in sacris Iouis aesculus, Apollinis laurus, Mineruac olea, Veneris myrtus, Herculis populus, Bacchi hedera, et Panis pinus praeter ceteras, obtinebant, ut Stuckius docuit de sacrificiis (p. 103.) Quare vix decipi me posse puto, si contendero, ad ignem in ara Genii sustentandum maxime aptam fuisse hanc arborem, propter gratam, quam Genio indulgentibus praebebat, umbram, tantopere adamataam apud veteres, ut a Xerxe quaedam pretiosissimis cingeretur coronis, Hortensius vero suas platanos vel vino ad radices irrigaret, quorum illud Aelianus (V. H. I. II, c. 14.) hoc Macrobius (Saturn. III. c. 13.) perhibent.

### §. VIII.

#### *Locus arae.*

Non alienum est ab instituto meo hic discutere quaestio-  
nem, quonam in loco ara Genii fuerit collocata, sacrificium  
que oblatum igne absuntum, quae difficilis sane est in tan-  
to veterum hac de re silentio, monumentorum raritate, et  
locorum qui extant obscuritate. Templa quidem Genio-  
rum, in quibus sacrificia haud dubie fuerunt peracta, com-  
memorata offendit in titulorum antiquorum spoliis. Verum,  
re accurate exacta, apparebit, haec omnia nequaquam ad pri-  
uatos, sed ad Genios publicos, aut imperatorum, quorum cul-  
tus solennitate multo splendidior erat, quam priuatorum ve-  
neratio,

neratio, pertinuisse. Mihi quidem occurrit Propertii locus,  
quo adducor, ut contendam, in atrio potissimum Genio rem  
diuinam fuisse factam. Sic enim ille (l. III. IX, 19.)

*Inde coronatas ubi thure piaueris aras  
Luxerit et tota flamma secunda domo,  
Sit mensae ratio.*

Quis vero est, qui non statim videat, dormum hic non totam  
posse intelligi, sed partem modo eius singularem, locumque  
sacrificiis adolendis aptum, qui in aedibus veterum nullus  
erat aliud, nisi atrium. Ne quid dicam de lecto geniali ibi  
collocato, hic omnino sacra siebant diis domesticis, maxime  
Laribus. Hic etiam horum signa seruabantur in larariis, quae  
pauperum quidem in aedibus fuerunt loculamenta in pariete  
formata, haud magnae amplitudinis, rotunda saepe, interdum  
quadrata, sublimi tamen loco, ut ab hominum commercio  
segregarentur. Ditiores vero armaria habuerunt longa, et  
elato suggestu in altum sublata, columnis, antis, coronide,  
fronte, ceterisque architecturae ornamentis decorata. Clau-  
debantur valuis, et quoties sacra siebant domestica, hae ape-  
rieabantur. Cuius rei grauissimum ex ipsis monumentorum  
vetustorum reliquiis suppeditat argumentum Passerius ad vasa  
Etrusea, (Dissert. II.) quod didici ex iis, quae excerpta legun-  
tur in Actis literariis Klotzianis (Vol. VI. p. 220.) Subuenit  
quo-

¶ \* ¶

quoque hanc in rem Petronii locus luculentissimus. (c. 29.)  
*Praeterea grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum, vbi multa alia congererunt interpretes, quos Burmanni editio exhibit. Quare haud dubie eadem fuit aedicula Genii, cuius mentio fit in Syntagmate Reinesii (claff. XIII. 64.) Ibi enim L. quidam Aulinius praeter alia ponendam curasse perhibetur*

#### AEDICVLAM GENIALEM GENIO.

Cum igitur eiusmodi capsulae ad recipiendum modo et seruandum Dei signum aptatae fuerint, certum quoque est nullum in ipsis sacrificiis earum fuisse usum, praeter eum tantummodo, ut statua Genii in proximo adesset, aut valuis aediculae apertis, aut ipso signo depromto et in vicino collato. Quodsi enim ponimus hoc, a veri specie profecto haud alienum: multum inde lucis assunditur locis omnibus, vbi Genius ipse mero suffusus, capite et collo cinctus floribus et coronis vnguentisque delibutus dicitur, praesertim, cum aliorum Deorum statuis eundem honorem praestitum fuisse satis constet. Tunc quoque non est, quod ad tropum consugias, sed omnia ad signum Genii ipsum referre licet. Operae fuerit pretium et hic excitare illustris Heynii sententiam, quem in hac quoque re antesignanum propter subacti iudicij acumen lubenter sequor. Quamquam enim hic in iis locis Ti-

B

bulli



bulli, qui Genii caput mero perfusum commemorant (vt l. I. El. VII. 50.) tropum amplecti mauult, quicquid contra moneat Schneiderus ad Anacreontem (p. 187.) tamen in ceteris eadem omnia decernit. Clare enim (ad l. II. El. II. 7.) *Dum Genio, inquit, sacram fit ture, alisque odoribus accensis, et appositis libis et libato vino, Genii simulacrum, adolescentis speciem referens, corollis ornabatur, nardo alisque vnguentis delibutis capillis.* *Institutum hoc forte eo, ut tanto magis epulis ille adesse suis videretur.* De Iunonis quoque signo eadem fere monet (ad l. IV. El. VI. 13.)

#### §. VIII.

#### *Vota et preces ad Genium.*

In tanta veterum, qua religio Genii eorum imbuebat pectora, pietate, a cultoribus eius nihil non obseruatum, nihil praetermissum fuisse, quod fas esset facere, existimare quilibet ipse poterit. Ne igitur forte quid desideretur, quod ad institutum huius commentationis pertinere videatur, verbo modo ac strictim attingam, hic aequa ac in aliis sacris diligenter cauisse homines priscos, ne sibi, vel imprudentibus, verbum ullum excideret, in quo mali ominis esset significatio, auspicatis contra verbis studuisse sedulo. Hinc Ouidius (V. Trist. El. V. 5.)

Lin-

*Lingua fauens adfit longorum oblita malorum,  
Quae puto dedidicit iam bona verba loqui.*

Missis pluribus, quae Broukhuisius affert ad Tibullum (l. II. El. II. 1.) progredior potius ad vota ipsa, quae ad praecipuas huius religionis referenda fuerunt partes, nec modo ab iis ipsis, quibus natalis dies illuxerat, sed aliis etiam, in societatem huius laetitiae venientibus, pro illorum incolumitate concipiebantur. Cum vero non uno viuatur voto, sed alius alia precari sibi soleat: hae preces pro cuiusque conditione differebant, sicut hoc quoque tenendum, in sacris id obtinuisse moris, ut, pietatis speciem prae se ferentes, quaedam modo vota voce pronuntiarent clara, alia vero, imo complura, sub pectoris premerent angustiis, in primis, si verendum erat, ne adesset, qui contraria vota faceret, aut si haec ipsa parum erant honesta et verecunda, aut *impia*, ideoque nefanda. Hinc Tibullus (l. II. El. I. 85.) pastores singit Cupidinem, foecunditatis patrem, pecori palam vocare, sibi vero clanculum, idemque de Cerintho (l. IV. El. V. 17.)

*Optat idem iuuenis, quod nos, sed teclius optat;*

*Nam pudet haec illum dicere verba palam.*

et de Sulpicia (l. IV. 6.)

*Praecipit enatae mater studiosa, quid optet,*

*Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.*

Iam vero in votis piis, communibus tamen et cuique tempo-



ri accommodatis sicut illud, quo bonam mentem aut sanam sibi precarentur. Iuuenalis certe (Sat. X.) accusatis grauissime impiis hominum desideriis, quibus bona externa, eademque caduca stupererant impetrare, tandem praecepit:

*Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.*

Consentiens cum hoc Seneca, vti saepius, sic (Epist. X,) suadet: *Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam facias. Alia de integro suscipe. Roga bonam mentem.* Quoniam vero a scopo meo plane alienum est, subtilius de aliis Senecae locis similibus disputare, ablegandi sunt lectores ad Illustris Wernsdorffii Programma de bona mente a Romanis consecrata. Inuenio quoque epulantes in fine conuiuuii peracta libatione et poculo boni daemonis hausto, eodem fere prosecutos esse votos, vt auctor est Petronius (c. 61.) ubi conuiuae, qui iam surrexerant, bonam mentem, bonamque valetudinem sibi optabant. Referrem huc et alium Petronii locum (c. 88.) ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt, nisi nouissimus eius editor Excell. Antonius docuisse, priora verba e similibus locis irrepsisse. Cum igitur hoc in solennibus Romanorum fuerit votis: natalis quoque diei celebritati certe non erat inconueniens, vereque hoc tempore, a multis forte, nuncupatum esse, colligo e Persio, (sat. II. 8.) Per occasionem enim natalis Macrini exagitat poeta homines, qui eiusmodi die aequa a Diis palam poscentes, simul tacite iniqua plurima peterent.

*Mens*

*Mens bona, fama, fides, haec clare, et ut audiatur  
hospes.*

Iam cum manifesto de die sit sermo, Thracum more candi-  
dis lapillis notando, a finosque labentes apponente, ideoque  
natali Macrini, quo merum Genio sit fundendum: preces  
quoque hominum eiusmodi die concipi solitae sunt intelli-  
genda, et tales quidem, quae Satyrico stomachum mouere  
potuerunt.

Nolo hic omnia congerere, quae poetae saepius excitati  
in carminibus suis suppeditant, sed illud modo adhuc subii-  
ciam votum, quod etiam solenne fuisse videtur, et longiorem  
vitae usuram expetebat. Propertius (l. I. VII. 63-64.)

*At tu natalis, multos celebrande per annos,  
Candidior semper candidiorque veni.*

Martialis quoque (l. X. Epigr. 24.) optat:  
*His vos, si tamen expedit, roganti  
Annos addite ter precor nouenos.*

At Ouidius exul, vitae pertaesus miserae, petit a natali suo  
(l. III. 13. 26.)

*In loca ne redeas amplius ista precor.*

Animo vero tanto certiori has fundebant preces, persuasi, Ge-  
nium omnia scire ac intelligere, sibique annueré et votis faue-  
re. Illud Horatius ipsi tribuit (Epist. l. II. 2. 187.)

*Scit Genius natale comes qui temperat astrum.*

B 3

Idem-



Idemque Tibullus (l. IV. El. 5. 19. 20.)

*At tu, natalis, quoniam Deus omnia sentis  
Adnue; quid resert, clamue palamue roget?*

Cerintho vero in natali puellae ipsi desponsae votis Genium satisfacturum promittit (l. II. 2. 8.)

*Adnuat et, Cerinthe, tibi quodcunque rogabis  
En age, quid cessas? adnuet ille; roga.*

Haec quoque ratio est, qua vota cadere ibidem dicuntur, seu rata esse. Sciscitantem vero, quid sit, quod tantum spei in Genii auxilio fuerit situm, Plato instruat (in Epinom. p. 702.) loco superius iam excitato (Dissert. I. §. V.) e quo manifestum sit, Genios propter commercium cum Diis interpres agere putatos fuisse rerum humanarum, eoque nomine precibus ac votis honorandos, quod bonis verbis ipsi deparentur. Hoc Platonis effatum dilucidius explicat Apuleius de Deo Socratis (p. 45.) *Sunt quaedam diuinae mediae potestates, inter summum aethera et infimas terras in isto interposito avris spatio, per quas et desideria nostra, et merita ad Deos commenant. Has graeco nomine δάμονας nuncupant, inter terricolas caelicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: qui vltro citroque portant, hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam vtrinque interpretes et salutigeri.*

§. X.

❧ ♫ ☩

§. X.

*Ritus reliqui in sacris Genii.*

In ceteris ritibus ab iis obseruatis, qui Genio rem diuinam faciebant, in promtu primo est ille, quo frontem tangebant, Genio quippe consecratam, ut Seruius certiores nos facit ad Virgilii Eclogam (VI. v. 3.) *Cynthius aurem vellit ideo, quia memoriae consecrata, vt frons Genio.* Disertius vero hic idem (ad Aen. III. v. 607.) *Physici dicunt esse consecratae numinibus singulas corporis partes: vt aurem memoriae, frontem Genio, unde venerantes Deum, tangimus frontem.* Notissimus quoque precantium mos, aras altera manu tenendi e Virgilio (Aen. IV. 219.)

*Talibus orantem dictis, arasq[ue] tenentem*

*Audit omnipotens.*

ad quae verba Seruius: *necessere erat ansas (arae nempe) a sacrificantibus teneri, quod nisi facerent, grata Diis sacrificatio non esset.* Suffragatur quoque huic Macrobius, qui (l. III. c. 11. Saturn.) *litare, inquit, non potest sola oratio, nisi et is, qui Deos precatur, etiam aram manibus apprehendat.* Cum igitur tantopere necessarius fuerit hic ritus in sacrificiis, ut, hoc non obseruato, nullo modo potuerint littere, seu exoptata et manifesta propitiae Deorum voluntatis signa accipere: nihil quoque probabilius est, quam eundem in sacris Genii nequaquam esse intermissum. Sunt quoque qui statuant,



statuant, veteres simul prostratos adorasse in his sacris, quibus tamen, grauioribus quippe rationibus destitutis, calculum addere neutiquam possum. Qui enim id probatum iuit, Taffinus de anno Romanorum seculari (c. 13.) loco nititur Propertii (l. IV. IX. 42.

*Geniumque meum prostratus adorat.*

Minime vero de religiosa adoratione sermonem ibi esse, cui libet orationis seriem consulenti statim apparebit, cum potius hic habitus est misericordiam alterius implorantis, et, doctissimo Barthio ibi monente, Genium adorare nihil aliud significat, quam per Genium alterius orare, formula satis nota. Progredior nunc ad choreas, cum e veterum libris cognitum est atque perspectum, has quoque ita fuisse cum sacris coniunctas, ut nullum facile sine saltatione peractum sit sacrificium. Pertinuisse autem illam aequa ad Genii sacra, non est, quod longius arcessam testimonia, cum iterum apud Tibullum (l. I. Eleg. VII. 49.) huius ritus expressa sunt vestigia. Osirim enim natali Messalae ad sacra Genio celebranda ita vocat:

*Huc aedes et centum ludis Geniumque choreis*

*Concelebra, et multo tempora funde mero.*

Has igitur choreas circa aram igne in ea iam stridente impositisque iis, quae adolenda erant, factas esse, doctissimus Mitkius, eximie olim de me meritus, exposuit in Dissertatione

tione de Apolline ἐπιδημίᾳ. E loco tamen Propertii (l. III. El. X, 23.) quo omnes fere religionis huius diei partes ex ordine persequitur, post coenam repetitas esse saltationes colligo. Suadet enim amicae, ut, aris ture piatis, et mensae ratione habita, noctem inter pocula currere finat, tumque

*Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,*

vnde quoque perspicimus, tibiam suisse instrumentum musicum ad cuius cantum choreae ducerentur. Plura testimonia non addo, quod otium mihi fecit Casp. Bartholinus de tibiis veterum (c. II.) et Heynius ad Tibullum (II. El. I. 86.) qui tibiam Phrygiam intelligendam esse docet, eo nomine, ne finistri quid audiri potuerit. Ne vero quis putet, me ignorasse locos, qui de vestitu veterum per hanc domesticam solennitatem exponant, subiungam veste alba seu potius candida eos suisse vsos, quod Cicerone auctore de Legibus (l. II. c. 9.) color albus praecipue decorus est deo, tum in ceteris, tum maxime in textili. Hinc Ouidius (III. trist. 13.)

*Scilicet expectas soliti tibi moris honorem*

*Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?*

idemque repetit (l. V. El. V.)

*Quaeque semel toto vestis mihi sumitur anno:*

*Sumatur fatis discolor alba meis.*

et Horatius (l. II. Sat. 11.)

C

Ille



*Ille repotia, natales, aliosque dierum  
Festos albatus celebret.*

Neque tamen his in locis quotidianum illum togae alborem ex nativo lanae colore, sed insignem indicari, atque album et candidum apud poetas saepe permutari, non est quod moneam, quod alias non liquet, cur auctores huius rei tanquam non semper usitatae iniiciant mentionem, nec quo discrepet a quotidiano habitus festus. Lipsius quoque (El. I. c. 13. p. 681.) hunc nodum quodammodo soluit, ratus, non aliud fuisse in eo more, quam quod per dies solennes togas sumferint recentes, usque nondum sordidas, accuratius tamen Ferrarius statuit, (I. I. c. 22. de re vestiar.) cum pauperes non semper recentes in promtu habere potuerint, a fullonibus lauandas, nouumque candorem iis conciliandum curasse.

#### C. XI.

#### *Pauca de coniuiciis.*

Omnium fere sacrificiorum solennium appendices quam cum fuerint coniuicia, amplius sane hic pateret campus in ea excurrendi. Multi tamen a Fabricio enumerati in Bibliographia antiquaria (p. 918.) hunc locum iam occuparunt, nec concedit instituti mei ratio omnia hic persequi. Itaque paucis modo disputabo de iis, quae ad apparatum mensarum et Genii cultum sigillatim pertinere videntur. Scimus enim in coniu-

comitiis ditiorum pocula, eorumque emblemata non semper  
fuisse eadem, sed alia atque alia, et temporis solemnitatisque  
cuiuslibet coniuicii rationi accomodata. Sic in coena nu-  
ptiali vasa apponebantur, quae argumenta depicta, aut tore-  
matibus, aliaque arte expressa, referebant, e mythologia Deo-  
rum petita, atque huic gaudio conuenientia. Sic adolescenti-  
bus, cum togam sumerent virilem, vasa mittebantur, tum  
in coniuicii conspicienda, quae virorum fortium res praecla-  
re gestas adumbrarent. Quid igitur impedit, quo minus con-  
tendam, valde videri probabile, hunc morem etiam in conui-  
ciis natalitiis viguisse, et ad eorum splendorem augendum, in  
mensis ditiorum et lautiorum posita fuisse eiusmodi vasa, quo-  
rum picturae aut emblemata et sigilla vsu et tempori respon-  
derent et Genii Iunonisque sacra et fabulas, arte expressas, prae-  
se ferrent, quo magis scilicet his imaginibus incenderetur pie-  
tatis ardor, ac de praesentia Dei tutelaris et propitio fauore  
tanto certius iis persuaderetur. Nam Ouidio teste (Fastor  
VI. 305)

*Ante focos olim scannis confidere longis  
Mos erat; et mensae credere adesse Deos.*

Praeter ea quae e Dactyliothecis dispersa huc referri possent,  
egregie sententiae meae patrocinantur vasa Etrusca plura, quae  
Genii et Iunonis sacra luculentius depicta proferunt, in con-  
iuiciis natalitiis haud dubie apposita et usurpata, quod vberius

a Passerio demonstratum esse lego in actis literariis (Vol. V. p. 229.) Supereft modo, vt excutiam aliam sententiam, qua nonnulli contendunt, per haec conuiua collocatum fuisse in mensa signum aliquod Genii peculiare. Non ignoro quae-dam Deorum signa in mensis maxime secundis et libatione fuisse conspicua. Arnobius enim (adu. Gentes p. 91. edit. Mairii) *Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris Deorum.* Quod de Laribus testatur Petronius (c. 60.) Postquam enim conuiuae iam surrexerant, et Augusto patri patriae Feliciter dixerant: *tres pueri candidas succindit tunicas intrauerunt: quorum duo Lares bullatos super mensam posuerunt, unus pateram vini circumferens, Dii propitii clamabat.* De Hercule quoque rem extra omnem dubitationis aleam ponit eximium Herculis Epitrapezii sigillum, mira arte Lysippi manu elaboratum et Romae apud Nonium quendam Vindicem in mensa appositum. Tanta eius praefstantia digna fuit visa, que carminibus celebrata posteris com-memoraretur a poetis Martiali (l. VIII. 44.) et Statio, (Syluar. III. VI.) Et si vero hic (v. 32.)

*castae Genius tutelaque mensae  
Amphitryoniades*

vocatur: tamen inde nondum efficitur, Genios hominum, si-gnis expressos, in mensa apparuisse. Gratius igitur praesidi-  
um

um huic sententiae conciliaturus ablegabar a Taffino l. c. ad Ludouici Aurelianii nouas cogitationes in Tacitum. Ut vero nihil dicam de manifesto huius viri errore, quo Lares et Genios confundit, et his saepius tribuit, quod illis erat proprium: omni spe destituebar, certas sententiae rationes ab eo expectans. En ipsa Franco Galli verba (ad Annal. II. c. 65. p. 292.) *Erat autem ille Genius paganorum mensis conspicuus, effidusque ex cera, aere, auro et argento.* Perge igitur et proba. *Ita de isto Genio Horatius:*

*Scit Genius natale comes qui temperat astra  
Naturae Deus humanae mortalis in unum  
Quodque caput.*

Idem docet (ad Annal. VI. c. 5.) *Genii statua in editiore loco mensarum, ut Dii Lares,* ne vlo amplius verbo hac de re addito. Didici ergo nouam sententiae argumentis corroborandae rationem, quam si amplecterer maleuolente Genio natus essent. Quamquam igitur haec opinio per se nihil absurdum habet, maxime, si ex locis superioribus propter similitudinem ad Genii cultum, signumque in mensa collocatum vis concludere: tamen decernere aliquid non audeo, certioribus quippe testimoniis e veterum monumentis substitutus.

Itaque

AKTH 770

22

Itaque manum de tabula, ne Genios lectorum diutius eos morando habeam iratos, apud quos, si quaedam obscura, elariori luce a me non potuerunt collustrari, forte me defendet hoc, quod, quicquid huius culpae est, id omne temporum iniuriae tribui debet, quae, sicut omnino in rebus ad caeremonias, ritus et mores antiquos pertinentibus, ita et in hoc argumento, plura inuidit testimonia.



ULB Halle  
004 564 111

3







DE  
GENIO NATALIVM PRAESIDE  
COMMENTATIO ANTIQVARIA POSTERIOR

QVAM

P R A E S I D E  
**IOANNE CHRISTIANO  
HENRICI**

A. M. LYC. VITEB. CONRECT.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. XXVI. FEBRVAR. CCCCCCLXXXIII.

H. L. Q. CC.

D E F E N D E T

**CHRISTIANVS GOTTLLOB FRANCKIVS**

VITEB. MEDICINAE CANDIDATVS.

VITERBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIJ.